

CAPUT III.

De juribus & officiis gentium circa dominia rerum.

§. I.

De jure occupandi.

Authores nonnulli, qui dominiorum originem mutuæ civium conventioni ac determinationi tribuunt, quin tamen revera ad conventionem hujus generis ab universâ initam humana societate provocare audeant, utpote, quæ fictitia est, ii perperam nullis gentibus dominia concedunt.

Cum vero dominiorum origo potissimum tribuenda sit *juri occupandi*, ex quo, tanquam ex sua scaturigine, proprietates seu dominia rerum defluxit, cumque non solum personæ physicae, verum etiam morales, sive gentes jure occupandi gaudeant; hinc dubitari nequit, quod etiam gentibus sub gentis ratione spectatis, competant rerum dominia seu proprietates.

Porro jus occupandi se non extendit, nisi ad res illas, quæ reipsa nullius sunt; quæ proinde factis legitimo cum animo acquirendi apprehensæ, sive hominis, sive gentis occupantis dominio subjiciuntur. Quod si igitur res



res aliqua alterius dominio seu originativo, seu derivativo sit modo subjecta, jus occupandi circa illam exerceri nequit. Intelligimus autem hoc loco per dominium originativum nil aliud, quam acquisitionem rei illius, quæ aut nullius unquam fuit, aut a domino propriè est derelicta; & per dominium derivativum acquisitionem ejus, quod legitimo titulo transit è dominio unius ad alterum: quare dominium originativum, & derivativum confundi non debet cum dominio imparticipato, quod soli Deo, & cum dominio participato, quod homini competit.

Gentes igitur eminentiore modo gaudent jure occupandi, quam privati homines: gentes quippe per universitatem occupare valent res, quæ privatis haud tribuuntur. Sic gentes totam deferram occupare ac colere possunt regionem, suoque subicere territorio; occupare item possunt partem maris, ingen-tes insulas &c. quæ privatis neutiquam competunt hominibus.

Si ergo personæ physicæ seu privatæ occupare, suoque dominio subicere valeant certas res quæ nullius sunt; à potiore gentes potestate gaudent, singula occupandi, quæ à nullo adhuc alio occupata sunt, atque in suum favorem & commodum de iis disponendi.

aliter omnino statuendum de rebus modo ab aliis debitâ ratione occupatis: has quippe



pe eripere, sedes occupatas evertere, fines territorii effringere, alieni territorii jura turbare, sibi que vindicare, & quæ sunt alia hujus generis perpetrare, juri gentium adversatur. — Sequitur, quod occupatio, quævis, per quam nova acquiruntur jura, novaque dominia rerum, nullius tertii jura aut bona violare debeat.

De exercitio juris occupandi cl. Zallinger Lib. IV. j. g. §. CCLXXX. inter alia statuit sequentia: “ Ad originariam dominii acquisitionem opus non est consensu aliarum gentium: nam communio rerum vi pri-
 “ mævi status erat negativa; hæc vero continet quidem jus connatum apprehenden-
 “ di, atque in dominium redigendi res nullius; non vero continet jus, alios ab occupatione earum rerum excludendi: pro-
 “ inde alii occupare volenti non poterant dissentire vel resistere; ac locum habebat
 “ axioma: qui non potest dissentire, non
 “ debet consentire. „

Occupationis notionem, & objectum aptè tradit cl. Schwarz instit. j. n. & g. Parte II. tit. II. Respon. VI. his verbis: “ Occupatio dicitur apprehensio rei cum animo eam habendi
 “ ut suam. Circa quam fluit ex dictis regula vulgaris: res nullius cedit occupanti. Possunt
 “ sunt autem occupari res mobiles atque immobiles; hæc occupantur vel per universitatem,
 “ vel per fundos: illud fit, ubi à pluribus si-
 “ mul

“ simul, seu integro cœtu, hoc vero, ubi a
“ singulis terra occupatur.”

— Addi hic etiam potest, quod etsi ho-
mo ab auctore naturæ dotatus sit *jure res*
occupandi, ac faciendi suas; nihilominus per
ipsam naturam suam earum non sit dominus;
solus enim Deus per se dominus est rerum à
se conditarum: homo autem non nisi adquisi-
to, seu participato dominio gaudet.

Quæri hoc loco potest, utrum gens re-
gionem occupando vacuum, eo ipso non so-
lum regionis illius dominium, verum etiam
imperium, seu supremam imperandi potesta-
tem obtineat? — Strictè si loqui velimus, ne-
gative respondendum esse videtur: certum
quippe est, quod aliud sit objectum jurisdic-
tionis, & aliud proprietatis: imperium seu ju-
risdictio *personas* respicit legibus debite guber-
nandas, dominium vero sive proprietas re-
spicit *res*, fundos &c. igitur, presse loquen-
do, non videtur eadem esse causa immediata
capii dominii, capiendique imperii: unde si
varii homines in locis illis desertis vagari de-
prehendantur, suæque libertate utantur, pri-
stinâ suâ libertate non privantur per hoc, quod
gens quædam illas occupaverit terras; quo-
niam, uti diximus, alia est occupatio rerum,
alia acquisitio juris in personas. — Tales igi-
tur personæ è tali regione noviter occupatâ,
cæteris paribus, liberè exire possunt, aut gen-

ti hanc regionem occupanti libere se se sub-
jicere, ejusdemque legibus uti.

§. II.

De occupatione maris.

Non leves de occupatione maris inter aucto-
res vario tempore ventilatæ sunt controversiæ
& disceptationes: disputatur nempe pro, &
contra, utrum mare subjici possit dominio,
adeoque hinc inde ita occupari, ut proprius
occupationis effectus inde resulret?

Ad terminandas has controversias medi-
um valdè idoneum suppeditat *cl. Zallinger*,
dum *Lib. IV. j. g.* mare sub diverso respicit
obitu, & §. CCLXXXI. statuit sequentia:
“inprimis distingui necesse est inter *vastum*
“*oceanum*, præcipuasque ejus partes; & in-
“ter partes illius minores, quæ terram con-
“tinentem alluunt, vel in terræ continentis
“gremium longius se insinuant, & ob id
“*sinus* vocantur, quæve inter duas terras
“angusto tractu decurrunt, & duo maria
“ampliora jungunt, qualia *freta* nuncu-
“pantur. Dein maris usus, an, & quate-
“nus *exhaustus* sit, vel *inexhaustus*, confide-
“rari debet: nam quatenus *inexhausti usis*
“est, sive omnibus sufficit, non potuit in
“proprietatem redigi; quia proprietatis con-
“servandæ pacis causâ in societate humana
“fuit introducta, idque efficit, ut, qui rem
“pro-



“ proprietati subiectam invito domino usur-
“ pat, injuriam inferre, & bello occasionem
“ præbere videatur; Siquid igitur in proprie-
“ tatem redigeretur quod in medio expo-
“ situm, omnium usui sufficiens simulque
“ percommodum est, non paci hominum
“ consuleretur, sed perpetuis litibus ac bellis
“ ansa daretur. „

Idem confirmat *cl. de Martini, Parte II.*
Cap. XIX. §. DLXXXIII. inquit: “mul-
“ roque adeo minus *oceanum* adprehensionis
“ & custodiæ impatientem, primævæ com-
“ munioni subtrahere licebit. „

Itaque non solum ipsa maris diversitas,
verum etiam diversus illius usus spectari de-
bet; & hinc, quemadmodum inter vastum
oceanum, & inter partes reliquas, ita & in-
ter usum inexhaustum, & exhaustum bene
distinguendum est. — Vasti oceani usus in-
exhaustus reputatur, quia generatim neces-
sarius est & sufficiens omnibus eodem uti
volentibus: contra vero usus exhaustus re-
fertur ad illas maris partes, quæ variarum
gentium territoria attingunt, atque per oc-
cupationem eisdem etiam quoad specialem
usum subjiciuntur.

Vastus igitur oceanus, etsi re ipsa nulli-
us sit, occupari non potest, ac singularis
gentis dominio subjici, quin grave in om-
nes ferme gentes incommodum disfleret.
Unde

Undequaque proinde convenit, ut usus illius sit maneatque inexhaustus. — Aliter differendum est de partibus illius supra memoratis; hæ namque occupari possunt cum omnibus legitimæ occupationis consecrariis,

Libertati, & usui inexhausto vasti oceani etiam non nocet in substantia, quod tempore belli maritimi sive navalis pro occupatione illius ultro citroque pugnetur, & ex parte victoris certa species possessionis capiatur; nam usus ille inter certos duntaxat limites concluditur, neque talis esse debet, ut gentes aliæ ab usu inexhausto indefiniti vastissimique oceani jure excludi possint merito.

Porro, si ingentis oceani situs oculis spectetur & animo, facile intelligitur, quod illius occupatio, custodia & usus exclusivus uni genti determinatæ moraliter sit impossibilis ex unâ, & ex alterâ parte id reliquis gentibus adprime foret præjudiciosum: frustra igitur & inepte occupatio istius generis ab una gente intenderetur; quare actus illic collimantes, juri gentium adversari dicuntur.

Quamvis autem cl. Heineccius Lib. II. j. n. & g. §. CLXXVII. quoad ipsam maris occupationem a nostra superius probatâ difsideat sententiâ, dum inquit: "Nos, uti mare nullius esse nemo negat, ita, quin illud occupari possit, occupantique cedat, nulli



“ nulli dubitamus, maxime, cum id & olim
“ esse factum, & hodie fieri, ipsa nos con-
“ vincat experientia. ” Nihilominus eodem
“ loco citato de maris usu in modum pergit
“ sequentem: “ At, cum occupari non sole-
“ ant res inexhausti usus, *nec earum usu alios*
“ *excludere fas sit*; in mari vero quædam sint
“ *exhausti* usus, veluti captura piscium mayo-
“ rum, vectigalia, similiaque emolumenta:
“ quædam inexhausti usus, veluti navigatio:
“ illis alios excludi posse, *his non posse*, meri-
“ to statuimus. Multo magis ergo iis, qui
“ certas terras transmarinas, tanquam suas,
“ possident, licebit alios navigatione, quam
“ vel occupationis, vel commerciorum causâ
“ eo suscipiunt, excludere, nisi pactis & fœde-
“ ribus aliud cautum sit; cum unius cujusque
“ gentis in arbitrio sit positum, utrum com-
“ mercia cum extraneis permittere velit ci-
“ vibus, nec ne. At navigatione, quæ ad
“ provincias transmarinas, non nostras, com-
“ merciorum causa instituitur, non magis
“ quis alios sine injuria prohibere potest,
“ quam usu viæ publicæ, nisi navigantibus
“ obstant pacta & fœdera. Talis est nostra
“ de quæstione illâ sententia; qui tamen suo
“ quemque sensu abundare facile patimur,
“ maxime, cum de maris dominio armis po-
“ tius & solida vi, quam verbis & argu-
“ mentis disceptari soleat. ”

Verum cum legitimus usus inexhaustus
maris magni, sive vasti oceani juxta cl. Hei.



neccium nulli genti privatæ jure merito competere possit; consequens esse videtur, eodem modo statuendum esse de ipsa oceanæ occupatione, & dominio; ægre enim intelligo, quomodo gens aliqua vastum jure possit occupare oceanum, eumque suo subjicere dominio, quin tamen *fas sit* eidem, ab usu illius qualicunque alias excludere gentes. — Etsi igitur vastus oceanus sit *nullius*, occupari tamen oppido non potest a gente, ob rationes superius allegatas; sed potius ex iisdem momentis *nullius* manere debet.

§. III.

De consecrariis Domini.

Gentes, uti intelleximus ex antea actis, occupare possunt desertam totam regionem, eandemque sibi facere propriam: unde fit, quod in tali occupatione *per universitatem* in dominium gentis occupantis illud omne cedat, quod in regione ista, tanquam res *nullius*, invenitur.

Huic occupationi per universitatem succedit occupatio *per fundos*; ita, ut formata gens partium suarum ducere omnino debeat, terras sive solum ita dividere, ac privatorum dominio subjicere, ut agrorum, silvarum, pratorum &c. cultura ita instituantur, ut inde tam privatorum horum, quam gentis bonum & emolumentum promoveatur.

Hæc.



Hac peracta divisione *dominium proprietatis* erit penes privatos quoad portionem sibi designatam, *dominio alto* penes ipsam gentem, seu ipsius imperantem residente. — Illa porro, quæ per divisionem istam bonorum non sunt tributa privatis, penes imperantes remanere jure censentur; qui proinde *dominium proprietatis* cum singulis consecutariis in ea rite exercent. Huc passim referuntur illa, quæ recondita sunt in terra, ut metalla, mineralia &c. item loca adhuc deserta; uti certæ silvæ, varii montes, lacus &c. denique flumina per territorium decurrentia, cum insulis in iisdem existentibus, marium sinus, ripæ &c.

Sed quid statuendum de dominio fluminis diversi territorii ripas eodem tempore locoque reciproco alluentis? Regulariter dicendum, viciniorem medietatem fluminis pertinere ad *dominium* hujus, & medietatem alteram ad *dominium* alterius territorii. — Quodsi tamen specialia obsistant pacta, ratio possessorii &c. iis erit insistendum.

Cujuslibet etiam gentis vel maxime interest legitime fixos sui territorii limites seu fines publicos factos rectos conservare: unde omnibus conandum est viribus, ut proprii territorii limites tuti sint ab invasione & violatione aliena; sed et scrupulose evitandum, ne è proprio territorio erumpendo, territorium violerur alienum.



In dubio, fundatis nempe orientibus controversiis, quousque se se extendant territoria, ne relatè ad territorium vicinius, causa sedulo & impartiali examine discutienda venit, ac debita compositione & rectificatione definienda: studiose præprimis cavendum est, ne limitum designatio, quæ bona pace obtineri potuit, in sanguinolentas excrescat actiones, utique non sine gravissimo partium incommodo.

Nemini etiam dubium esse potest, quod sicut persona physica, si injuste læserit alteram, stricto jure ad omnigenam tenetur restitutionem; ita quoque gentem obligari ad reparationem damni, vel injuriæ alteri genti illatæ; utrimque enim militat ratio, jus suum contra injustos adgressores & invasores conservandi ac prosequendi.

Denique disputant hoc loco auctores, an *præscriptio* uti possint gentes, & in vim illius per universitatem acquirere dominia rerum? — Verum, oppidò liquet, quod *præscriptio juri civili* ortum suum debeat; jam vero inter gentem comparatam ad aliam gentem jus civile non subintrat; ergo neque *præscriptio*: nisi docere quis posset arcanè evincere, quod inter gentes quasdam sancitum sit pactum de jure præscribendi.

Interim *præscriptionis* a jure civili inventæ & introductæ talis est indoles, ut, quamvis juris naturalis ipsa in se non sit, nihil